









1729.

1. Ehrenhauser, Christianus Gratius: *De matrimonio inter feminarum sexu masculino simulato intro.*
2. Gellius, Ioh. Constantinus: *De venia noctatis*
3. <sup>a/b</sup> Lorenz, Antonius Josephus: *De iure aggratiandi*
4. <sup>II</sup> Loscherus, Christianus Welsanus: *Ordnatio sine titulo, clerico protestantium collata, circa et artis.*
5. <sup>a/b</sup> Reinhart, Tob. Tac.: *Ita co, quod circa excommunicem in bona fundalia justum est.* 2 Sept. 1729  
in 1745.
6. Reinhart, Tob. Tac.: *De torturae effectu respectu tortis*
7. Reinhart, Tobias Tac.: *De amore in donatione*
8. Reinhart, Tobias Tac.: *De distinctione sponsalorum in publica et clandestina*



9. Reinhardt, Tob. Iac.: De diverso farto secundum  
jus ciuitatis et Germanicum itea.
10. Reinhardt, Tob. Iac.: Essentias jurisdictionis  
nihilens quæstiones quædam illustris tam in foro  
quam cathedra divinitatis.
11. Reinhardt, Tobias Iac.: Religio, quæ nobis iuris  
finit.
12. Rotermund, Dr. Med.: De testamento unica sylla  
in compacto et perfecto.
13. Rustingerus, Drach. Christianus: De auro paternum  
ad alimenta nepoti. M. Agustinus praestans doctriche.
14. Stecker, Conradus Wilhelmus: De cessione  
bonorum famam non suggillante.
15. Stecker, Conr. W. h.: De vindictione necessaria

16. Kreuz, Com. W. Cella : De conditione fortiva
17. Streit, Dr. Philippus, Facult. iuris decanus 1. b. s.  
(et disputationem in ag. Festi Henrici Wintergari invitat)
18. Streit, Dr. Philippus, Facult. iuris decanus 1. b. s. :  
(et disputationem in ag. Dr. Caroli Reichelti invitat).
19. Streit, Dr. Philippus, Facult. iuris decanus 1. b. s.  
(et disputationem in ag. Fratris Christiani Radingeri  
invitat.)
20. Streit, Dr. Philippus, Facult. iuris decanus 1. b. s.  
(et disputationem in ag. Dr. am. Christiani König  
invitat).
21. Streit, Dr. Philippus, Facult. iuris decanus 1. b. s.  
(et disputationem in ag. Alderi Christiani Ludwig  
invitat).
22. Streit, Dr. Philippus, Facult. iuris decanus 1. b. s.  
(et disputationem in ag. Christiani Graecii Dresdeni invitat).

13. Tengell, Ernestus, Fauct. iuri Ncae . . . Prodecamus.

. . . et lec. cursoriam . . . haecque finitae disserenda  
lionem inay. . . . a Joh. Constantino Tellio . . .  
habendas invitatis.

14. Tengellius, Ernestus, : De secreto distributionis  
in concubitis curitorum non nullibi recepto

15. Tengell, Ernestus, Fauct. iuri Ncae . . . Pro. decamus.  
et lec. curs. . . haecque finitae do. inaugurales  
a Christiano W. Klaubart. . . habendas. . . in  
vita?

16. Tengellius, Ernestus, Fauct. iuri Ncae . . . Pro. decamus.  
Programma inaugurate, quod . . . invitat. . . et disses-  
tationem inay. . . . a Christiano W. Melius Loescher  
habendas.

17. Tengell, Ernestus: De jure prohibend, quod cunctos  
Iammine utundas.

*1729.2*  
*Q.D.B.V.*  
DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS JVRIDICA,  
*M 2*

DE  
**VENIA ÆTATIS  
SECUNDVM JVS  
ROMANVM  
ET  
LL.GERMANIÆ HODIERNAS,**

QVAM  
CONSENTIENTE  
*(4)*  
**INCLVTA FACVLTATE JVRIDICA**  
IN PER - ANTIQVA ERFFVRTENSIVM  
ACADEMIA  
SVB PRÆSIDIO ALTISSIMI  
PRO  
SVMMIS IN VTROQUE JVRE HONORIBVS  
CAPESENDIS  
IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI  
DEFENDET

**JOH. CONSTANTINVS GELLIUS,**  
*Dresdensis,*  
ibidemque Advocatus immatriculatus.

**DIE XIV. MARTII M DCC XXIX.**

**ERFORDIÆ,**  
Litteris GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

DISSERTATIO IN VAGABUNDIS IARIDICIS

DE

VENIA ETATIS  
SECVNDVM TUS  
ROMANVM

TELEMANNI HODDERNÆS

CONSENTIENTIA

MONSIAE ALEXANDRAE ARDICKA

INTER ANTIVIA EPIPHANTISIA

ACADEMIA

SAB PÆSIDIO ALTISSIMI

PRO

SUMMI IN ATROGAE LARE HONORIAS

CVRBÆBNDIÆ

IN VASITATORIO JCTORYM MAJORI

EMENDAT

JOH. CONSTANTINUS GELTIUS

EMENDAT

PIPIQUEDO AYACCHU MUNAYACUQ

DE XI MARTII M DCCLXIX

III



# CONSPECTVS TOTIVS DISSERTATIONIS.

## PROOEMIVM.

### CAP. I.

DE

## VENIA ÆTATIS SECUNDVM JVS CIVILE CONSIDERATA.

§. I. *Textus l.2. C.d.his qui Veniam ætatis impetraverunt.*

§. II. *Definitio venieæ ætatis.*

§. III. *Quis Jure Romano veniam ætatis concesserit?*

§. IV. *Cui concessa fuerit?*

§. V. *Tempus quo concessa fuerit.*

§. VI. *Modus quo impetrabatur.*

§. VII. *De numero Testium in fæminis.*

§. VIII. & IX. *Effeſtus venieæ ætatis.*

§. X. *En arrantur Causus quibus hic Effeſtus cessat.*

§. XI. *De Restitutione in integrum contra Veniam ætatis.*

( 2

CAP. II.

CAP. II.

DE

VENIA ÆTATIS SECUNDVM JVS GERMANI-  
CVM ET HODIERNVM.

- §. I. Ignota prisca Germania Venia ætatis.  
§. II. III. & IV. A quo Jure Germanico Venia ætatis impetratur?  
§. V. Quinam eam imperent?  
§. VI. Anni quibus ea imputetur.  
§. VII. Modus.  
§. VIII. Effectus Jure Germanico.
- manico ex concessa ætatis venia resultantes.  
§. IX. Casus quibus Minoribus equiparantur Veniam ætatis adepti.  
§. X. Restituuntur in integrum qui veniam ætatis impetrarunt contra eam concessam.  
§. XI. Conclusio.

PROOE.



CHARI CONSIDERATA

## PROœMIVM.



Ecundum Statum, qui est conditio hominum vel à natura vel à lege profecta, homines inter alias innumeratas penitentiam divisionem species dividuntur in Minores & Majores. *vid. tot. Tit. d min. XXV. annis.* Illi, uti trironibus in Jure patet, Jure Romano quoad annum vigesimum quintum expleverint, potestati, seu potius autoritati Curatorum subjacebant. Sed citius ab ea & extra ordinem quasi liberabantur, venia ætatis impetrata. *I. 2. C. d. his qui ven. at.* De qua nobilissima materia tum secundum Jus Civile Romanum tum & Jura Germanica LLque patrias considerata, cum in praesentiarum agere nobis constitutum sit, benignissimum

A

simum

simum Numen, ut gratia sua coeptis annuat, de-  
votis precibus rogamus.

## CAP. I.

### DE VENIA ÆTATIS SECUNDVM JVS CIVILE CONSIDERATA.

§. I.

**E**st igitur lex cardinalis in Jure Romano quæ de  
venia ætatis disponit L. 2. ex Tit. C. qui totus agit  
de his, qui veniam ætatis impetraverunt. Cu-  
jus verba sic sonant:

IMP. CONSTANT. *A. ad Verinum.*

P. P.

*Omnes Adolescentes qui honestate morum prædicti pater-  
nam frugem vel avorum patrimonia gubernare cupiunt, &  
per hoc Imperiali auxilio indigere cœperunt, ita demum æta-  
tis veniam impetrare audeant, cum vicinii anni metas im-  
pleverint, ita ut post impetratam ætatis veniam iidem ipsi per  
se Principale beneficium allegantes, non solum per scripturam  
anorum numerum probent, sed etiam testibus idoneis advo-  
catis, morum suorum instituta, probitatemque animi & testi-  
monium vitae honestioris edoceant. §. 1. Fæminas quoque  
quas morum honestas mentisque solertia commendat, cum  
octavum & decimum annum egressæ fuerint, veniam ætatis  
impetrare sancimus: Sed eas propter pudorem ac verecun-  
diam fæminarum cœtui publico demonstrari non cogimus, sed  
præcepta ætatis venia annos tantum (ætatis) probari (pessè)  
testibus (quinque) vel instrumentis, missò procuratore, concedi-  
mus,*

( 3 )

mus, ut ipse etiam in omnibus negotiis rale ius habeant, quale  
Et mares habere prescrimus, ita tamen ut predia sine decreto non alienent. §. 2. Sed Senatores quidem Clarissimi Viri  
in hac regia Urbe commorantes apud sublimitatem tuam: ce-  
teri vero apud Praetorem, in provinciis autem omnes apud ea-  
rum Rectores de suis moribus Et honestate perdoceant. §. 3.  
Hi vero qui contra memoratam dispositionem veniam ætatis  
à Principali clementia impetraverint, sciant eam nullas vi-  
res obtinere. Dat. III. Kal. Jul. Romæ CRISPUS II. Et CON-  
STANTINO CÆS. II. Conf. 321.

§. II.

Describimus ex hac lege veniam ætatis, quod sit  
Jus minori, qui annorum numerum legitime proba-  
vit, & morum animique probitatem apud Judicem  
rite perdocuit a Summo Imperante concessum, vi cui-  
jus æque ac major liberam de rebus suis disponendi  
facultatem nanciscitur. Aliam vide in S. FORT. Odd.  
Tr. d. Restit. P. I. qu. 23. art. 9. n. 40.

§. III.

Solus igitur Princeps s. Imperator est, à cuius cle-  
mencia veniam ætatis impetratur t. tit. C. de his qui ven-  
ætatis impetrarunt. Conf. COCCEJI Jus Controvers. L. IV. T. IV. qu. 2. quæ licet olim perraro data sit. l. 3. ff.  
d. Min. postea tamen frequens facta fuit. Neque cui-  
vis alii judici, quacunque ille dignitate fuerit gavisus,  
simultanea ea potestas competebat, ideo quod erat  
quædam dispensatio contra Jus Civile, quam solus  
Princeps concedere poterat, nisi, quod tamen legibus  
expressum haud continetur, delegata illi à summo Prin-  
cipe esset, quod ipsum Principem facere potuisse, ne-  
quit

A' 2

quit dubitari. Evidem obstare assertioni nostræ, penes solum Imperatorem jure Romano recentiori potestatem concedendi ætatis veniam fuisse admodum graviter videtur NOVELLA LEONIS XXVIII. verbis: non tantum Imperator (*minoribus*) rerum suarum procurationem administrationemque concedet; verum etiam quibus cuiusque loci magistratus obtigerit, quique plenam jurisdictionem habent. Ad quam respondemus, sive Magistratus non vi Magistratus, verum ex speciali delegatione eam concessisse, & totum negotium adhuc à Principe et si mediate esse perfectum; hoc enim est quod de LLatoris providentia addit LEO IMPER. & de difficultate principem adeundi præmisit; sive per hanc Novellam, quæ uti omnes Leonis receptæ in Imperio nunquam fuerunt, nec pro avthenticis habentur, Juri Justinianeo & in eo Legi nostræ à Constantino Imp. latæ non derogari. v. HILLIGER in Donell. encl. L. XXVI. cap. 2. p. 1392. Aliter adhuc JCTi veteres BARTOLVS in l. 3. ff. de Jurisd. cum BALDO ad eam, sentiunt. Quorum alter veniæ ætatis concessionem meri Imperii, alter mixti esse voluit. Sed utrumque confutavit PET. MÜLLER ad Struv. Tit. de Minor. Exerc. VIII. §. 53. lit. a Sed alia longe res est si in pristina Reipublicæ Romanæ recurranius tempora, quibus potestas hæc ætatis veniam concedendi juxta cum summa potestate penes populum erat. Id quod ex exemplo cum SCIPIONIS AFRICANI apud CASSIODORVM & ARNISÆVM d. J. M. L. II. c. 3. n. 15. qui se, ajebat, satis annorum habitum, si populus Romanus modo voluerit, tum & POMPEJI, NERONIS, AVGUSTI, &c. apud PLVTARCVHM

( 5 )

CHVM & S V E T O N I V M in horum Vitis constat. Sed immutato Reipublicæ statu, hoc cum omnibus aliis jus ad Imperatorem devolutum fuit. Conf. MYLER. ab EHRENBACH *Erol. Ord. Imp. C. I. §. 4.* Cœperunt tamen subsecutis temporibus Consules æque ac Præsidēs Provinciarum, minoribus ætatis indulgentiam concedere, & rerum administrationem liberam decreta super hac re datis, permettere quæ in *I. 3. pr. ff. d. Minor.* sustulit Severus Imperator. Vid. DVAREN. ad *Tit. C. d. bis qui ven. ætar. in med.* Ex quo tempore nemo, nisi Imperator solus hanc potestatem minoribus ætatis veniam concedendi exercuit.

§. IV.

Minores vero sunt quibus hæc venia ætatis contingebat. Sub quo nomine omnis is five mas, five foemina venit, qui nondum implevit annum XXV. *I. 13. ff. d. V. S.* Constat enim inter omnes, hos nihil prorsus absque interventu Curatoris peragere posse, & ejus ætatis in LLbus censeri, ut sua negotia tueri non possint *pr. J. d. Curator.* Hinc si honestate morum prædicti paternam frugem vel avorum patrimonia gubernare cupiant, hoc Imperiali auxilio adjuvantur. Quod ipsum tamen eos, quibus rerum recte gerendarum judicium adhuc deceit, sicut & furiosos, mente captos aliosque simplicitate morum iis feresimiles percipere non debere, *Novella Leonis §. anteced. citata, prohibet, & arg. Legis nostræ confirmatur.* Equidem excludit ab hoc privilegio Virgines *W E S E N B E C. Addit. Marginal. ad Bartol. I. 2. nostram.* Sed falso, cuius rei rationes vide in *FINCKELTHAVS. Disp. de Venia ætatis*

A 3

tis

tis Concl. 8. habbit. Lips. 1642. In prodigo vero cum qui propositus est dispositioni huic finis, ut bona recte administrarentur cesseret, hinc neque ejus farinæ homines privilegio ætatis gaudere possunt, cum, ut honestate morum prædicti sint adolescentes, qui eam impetrare audeant, in Lege nostra expresse sanciatur. Vid. P. MÜLLER ad Struv. Exercit. VIII. L. IV. T. 4. §. 53. lit. v. Utrum vero qui infamiam ex facto aliquo turpi contraxit indignus pariter videatur, qui veniam hanc ætatis impetrat, cessante ea ipsa ratione nimirum honestate morum, aliorum judicio esto relictum. Spuriis tamen venia ætatis haud deneganda. P. E. T. R. MÜLLER l. c. lit. v.

Circa tempus quo veniam ætatis petere Romanorum jure licuit, ingens differentia in sexu se exerit, jussis maribus, ut non nisi cum vicesimi anni metas impleverint, eam impetrare audeant, sed foeminis è contra cum octavum & decimum annum egressæ fuerint, ad illum obtinendam admisisse. Anxie autem in indaganda ratione, cur foeminis biennio citius, veniam ætatis concessa fuerit de sudarunt JCti. BACHOVIVS negat, solidam ejus rei rationem dari posse. Contra BREDERODIVS ad Schneidev. Comment. ad Instituta hanc assert quod quamvis Judicium muliebre plurimum infirmius sit virili, tamen quæ natura solertiores sunt, si ad virtutem pergent, celerius maribus prudentes fieri, propterea quod vehementiores multo in foeminis affectiones sint, quam in viris. Alii ita inferunt; quoniam foeminæ citius à tutela liberantur, ita etiam si ve-

lint,

( 7 )

lunt, à Cura possent, quem in modum & ipse LLator in  
*L. un. C. Theod. d. bis qui ven. et. argumentatur*, qui ad-  
dit, fieri id preaeprimis, quod non tam prodigae aut mi-  
nus ad rem attente soleant esse quam masculi, Bono-  
rum autem ergo dentur Curatores. Nos cum BRVN-  
NEMANNO in Comment. ad l. 2. nostram C. d. bis qui ven. et.  
facimus, afferente rationem cur foeminæ citius capa-  
ces sint veniæ ætatis impetrandæ patere ex eo, cur  
citius pubescant & adultæ fiant, quam mares. Interim  
illud Imperatorem ex Jurisprudentia Græca quæ anno  
demum XX. finivit pueritiam haussisse vult JOH. PE-  
TER A LVDEWIG in differentiis Jurium in ætate pube-  
rum & majorum. Hal. 1725. Cap. I. §. 7.

S. VI.

Ad modum progredimur, quo venia hæc ætatis  
minoribus conceditur qui pro diversitate sexus diver-  
sus quoque in Lege nostra invenitur Masculis enim co-  
ram magistratu ordinario inferiore præsentes se liste-  
re ibique specialiter, præter ætatem, honestatem mor-  
um quoque juxta cum animi solertia docere incum-  
bebat; Secus ac foeminis, quæ propter pudorem &  
verecundiam sexus sui cœtui publico demonstrari non  
cogebatur sed annos tantum ætatis missò procuratore  
probare ipsis concedebatur. Nec ad probationem  
morum ita astrictæ erant, cum sufficeret, si eas mor-  
um honestas mentisque solertia, quasi certa fama  
commendaret *l. 2. C. de his qui ven. et. & l. un. Cod. Theod.*  
*ead. V. FINCKELTHAVS. Dissert. d. Venia ætatis Concl. 12.*  
Dissentit BRVNNEM, in Commentar. in Cod. ad b. l. &  
STRAVCH. Disp. d. ven. ætatis, habit. Jen. 1674. C. IV.

§. 14.

§. 14. Paria tamen utriusque sexus Jura erant, primo in loco, ubi anni ætatis probandi, qui erat magistratus cuiusque ordinarius, & pro dignitate, qua fulgebant, vel Praefectus Prætorio, vel Prætor, vel denique Provinciæ cuiusvis Rector. Deinde sive mas s. foemina probationem eam vel per scripturam vel per testes, quo in Casu numerus quinquenarius (secus ac in aliis Causis, ubi probatio duobus testibus absolvitur & quos adhuc sufficere falso afferit STRAVCH. *Disp. de Venia aetatis habit. Jen. 1674. C. IV. §. 12.*) Lege nostra exigitur, peragebant, ita tamen ut inter testes etiam consanguinei admitterentur, qui de numero annorum deponebant *l. 7. ff. de Tute.* Quo facto ipsa concessio veniae ætatis ab utriusque sexus personis non nisi ab ipso Imperatore impetrabatur. *t. t. C. d. bis qui ven. aetat.*

## §. VII.

Notavimus superius s TRAVCHIVM 2. testes in masculis ad probationem ætatis & morum sufficere statuentem, qui tamen in foeminis numerum quinariū testium ex ratione quod absentia propriae personæ per testium numerum sit compensanda requirit. *Disp. cit. c. IV. §. 14.*

## §. VIII.

Restat, ut, qui effectus ex concessa ætatis venia Jure Romano resultent, proponamus. Quos in Definitione superius §. II. diximus esse, ut minores, impegnata ea, æque ac majores liberam de rebus suis disponendi facultatem nanciscantur, *L. 12. C. d. Admin. Tute.* Est igitur primus & præcipitus Effectus, quod in Civilibus quidem causis pro majoribus censeantur. *l. 10. ff. d. Appell.*

*d. Appellar. & à potestate Curatoris liberentur. I. i. C. d.  
bis qui Ven. et. Currit tamen hæc majorenitas non  
nisi à momento insinuati Rescripti quo venia ætatis  
minori decreta est. MYLER. ab EHRENBACH. Etol. Ord.  
Imp. Cap. 5. s. 4. Interim inter ætatem à Principe hoc  
modo impetratam & ætatem justam à Legibus anno  
XXV. definitam in Civilibus nihil plane interest, excep-  
tis Casibus §. subsequenti enarratis, ubi expresse perfe-  
cta & legitima seu a Legibus definita ætas requiritur,  
eiusmodi enim esse minor eiusmodi non intelligitur.  
l. f. C. d. bis qui ven. et. Hinc fictitiam eam nuncupat  
ætatem cuius quis veniam impetravit. s FORT. ODD.  
d. Refit. in integr. P. I. Qu. 23. art. 9. n. 44.*

## §. IX.

Emanant ex hoc, quod pro majore habeatur ejus-  
modi minor, alii longe nobilissimi Effectus, verbi gra-  
tia 2) potestas standi in judicio absque Curatore. I. 10.  
ff. d. appellat. SANDE Decis. L. I. T. II. Def. I. Poterant  
3) tanquam patres familias res suas libere administrare  
& absque spe restitutionis de iis contrahere. I. i. C. d.  
*bis qui ven. et. LIPSK. Cent. 2. Obsérv. 10. n. 7. eas vende-  
re, loco venditarum alias rursus coëmtere. Siquidem  
Princeps bona concedendo videtur etiam obligatio-  
nes cedere. I. 21. ff. d. V. S. Qua in Lege PAULVM  
Ictum respicere ad veniam ætatis autor est VLPIANVS  
in l. 3. ff. d. Minor. Ceterum & ex leg. 3. ff. d. Sententiam  
Passis constat bonorum appellatione etiam obligatio-  
nes venire. Conf. GERARD. NOODT ad Edid. Praet. de  
Pactis Cap. 20. Valide 4) fidejubere & personaliter pro  
aliis intercedere poterant, per ea quæ tradit HERING.*

B

d. Fi-

d. Fidejussoribus Cap. VII. n. 109. & BRVNNEMANN. ad L. 3. C. d. bis qui ven. aet. Licet quoque ipsis 5) contractus celebratos in ætate pupillari à tute resolvere. Sic v. g. locationem à Tute factam per veniam ætatis à minoribus obtentam resolvi asserit. MYLER. ab EHRENBACH in Etol. Ord. Imp. Cap. 5. §. 2. Neque minus 6) donationes modicas ejusmodi minori concedendas esse merito censendum est. Denique 7) qui ætatis veniam impetravit, longius spatiū petendi restitutionem circa actus ante adeptam veniam gestos, habet, quam qui major factus est naturaliter. Semper enim eam usque ad annum XXV. petere potest. l. 5. pr. C. d. Temp. in integr. refit. LVDOVICI in distinct. Jurid. L. IV. T. IV. Dist. 3. Utque rem universam brevibus expediamus: Quaecunque minores cum Consensu Curatoris facere possunt, illud postquam veniam ætatis impetrarunt ipsis solis facere licet. l. 12. C. de Admin. Tut.

Sed simili cum ceteris minoribus conditione illi qui pro majoribus ex Principis indulgentia declarati sunt, gaudent I) quoad admissionem ad honores ad officia publica, ex ratione, quod per veniam ætatis iudicii defectus & mentis maturitas non suppleatur v. MYLER ab EHRENBACH Etol. Ord. Imp. Cap. 7. §. 5. & P. MÜLLER ad Struv. Exerc. VIII. L. IV. T. 4. §. 43. l. & II) Interdicta ipsis est alienatio bonorum immobilium & mobilium pretiosorum. l. 2. C. d. bis qui ven. aet. & l. 3. C. eod. l. 22. C. d. Admin. Tut. Qam sine decreti interpositione fieri Leges vetant, licet quoad posteriora dis-

diffentiat FVLGO S: ad d. l. 2. C. d. bis qui ven. et. Nisi potestas alienandi nominatim à Principe fuerit concessa. arg. l. 2. C. quib. Decret. non est opus. Cujus rei ratio hæc est, quod bona immobilia nec cum Curatore alienare minor potest. d. l. 3. C. de his qui ven. et. Excipitur tamen si ex parentis conventione fundus ab eo emitus à minore, cui ætatis venia fuit concessa, sit retrouendus, tum enim is absque decreto contractum eiusmodi celebrare potest. l. i. C. quand. decret. non est opus. Add. BRVNNE M. ad l. 3. C. d. bis qui ven. et. Quamvis alias nec restitutioni locum esse in casu, ubi minor, qui veniam ætatis impetravit, prædia sine decreto alienavit, censendum sit, ideo, quod nulla ipso jure eiusmodi alienatio foret. III. Pignoris quoque loco dandi bona immobilia potestas admitta est minoribus pro majoribus declaratis per l. 3. C. de his qui ven. et. §. BRVNNE M. ad eam nisi pariter Judicis decretum accedat. Neque minus IV. prohibetur minor tum proprietatem bonorum immobilium tum possessionem nisi in Summariissimo in judicium deducere, cum regula generalis sit, quod qui rem alienare nequit, eandem etiam in judicium deducere non possit. per text. in l. jusjurandum 17. §. 2. ff. de Jurej. eo quod ubi amiserint actionem rem alienant. Vid. DVAREN. Comment. ad Tit. C. d. bis qui ven. et. CHRISTINÆVS Decr. 132. n. 12. ANTON. FABER in Rational, ad l. 17. ff. d. Juram. Arcentur porro V. à Tutela fratrum impuberum, ideo quod licet ex Indulgentia Principis per veniam ætatis jus propria bona admistrandi obtinuerint, hoc tamen ad alienas s. fratrum impuberum res

nion sit extendendum, neque quoad tertium privilegium hoc locum habeat. arg. §. 13. J. d. Excusat. Tut. j. §. un. J. d. Fiduciar. Tutel. VI. Nequeunt in arbitrium eligi. l. 8. ff. d. muner. Nec VII. legatum in Causis testamentariis ante annum XXV. completum capere. l. f. C. d. bis qui ven. aet. Testator enim terminum consuetum respexisse merito censetur, nisi aliud dixerit. VITRIAR. Inst. Jur. publ. L. III. T. 2. §. 24. Non habentur VIII. pro majoribus in Legibus & Statutis; poenibus l. 41. C. d. Transact. sed nihilominus poenae mitigationem ætatis minorennes prætextu petere possunt. Conf. HILLIGER. in Donell. Encl. L. XXI. Cap. 12. lit. Y. in not. IX. Bona in feudum dare sine decreto ipsis non licet, quia similis hac in parte conditio minorum omnium est, seu petita est seu non ætatis veniam. a. l. f. C. d. bis qui ven. aet. Quod ipsum tamen alii limitant, nisi insefuationem minori juramento confirmaverit, ubi decreto opus non sit per Artb. Sacramenta puberum C. si adv. Vendit. STRUV. Syntagm. Jur. Feud. Cap. 5. tb. 4. n. 2. § 4. Bernhard von Rohr Introd. in Jurispr. priv. p. 352. X. Provocare ad divisionem ipsis non permittitur. Vid. BÖHMER. Disp. de Jure dispens. Sect. II. Cap. I. §. 14.

§. XI. modi monobiblio eniat

De restitutione in integrum contra impetratam annorum veniam, sub finem Capitis hujus mentionem quoque facere liceat, siquidem & ejus in Jure Romano vestigia apparent. Poterant sc. minores impetrata veniam observantes, se non esse satis aptos ad res administrandas adversus eam restitui a. l. r. C. d. bis

qui

qui Ven. at. SFORT. ODD. d. Restitut. Qu. 23. num. 45.  
 MAVRIT. de Restit. in integr. c. 226. eo effectu, ut mino-  
 res iterum declararentur quoad actus futuros, modo  
 illa ab ipso Principe esset impetrata: cum prætor eam  
 ideo, quia inferior contra factum superioris non resti-  
 tuat concedere nullo modo posset. l. 3. C. si adv. rem  
 judic. Couf. COCCEJ. Jus Controv. L. IV. T. IV. Qu. 2. Ubi  
 & ad Objectiones respondeatur. Sed non dabatur ea,  
 recte pronunciante modo laudato summo JCto co-  
 CEJO l. c. Qu. 4. contra actus medio tempore gestos,  
 ne qui cum illis, qui veniam ætatis impetrarunt, con-  
 traherent, principali rescripto circumscribi videren-  
 tur. Tametsi enim negari nequeat, quod actus ejus-  
 modi gesti sint ex lubrico, certo tamen certius est, Lu-  
 bricum ætatis ejusque beneficia definita jure positivo  
 contraria Dispositione Civili auferri iterum potuisse,  
 id quod factum venia ætatis concessa, imprimis cum  
 ea non nisi inquisitione in mores facta impetraretur.  
 Neque huc facit, quod, cum per restitutionem omnia in  
 pristinum statum reducerentur, ideo & medio tempo-  
 re gesta pari modo pro non factis forent habenda.  
 Solum enim illud modo in pristinum statum restitue-  
 batur, contra quod petita erat restitutio, quæ neque  
 petebatur neque peti poterat contra actus post ve-  
 niā ætatis adeoque à majore gestos, sed contra actum  
 petitionis veniæ quem minore ætate & minor gesse-  
 rat. Vid. WESENBECK. in Comment. ad Codic. L. II.

T. 45.

B 3

CAP.

## CAP. II.

### DE VENIA ÆTATIS SECUNDVM JVS GERMANICVM ET HO- DIERNVM.

§. I.

**P**ergimus jam investigare in hoc Capite, quæ circa Veniam ætatis Jure Germanico & hodierno obtineant, quam licet ignotam priscis Germanis fuisse attestetur SPENER *Jur. Publ. T. VI. p. 313.* & LUDWIG in *Differentiis Jurium in ætate puberum & majorum Cap. IX. §. 7.* qui ait, majorenitatem olim virtute fuisse æstimatam; dubium tamen haud est, ex eo fortassis tempore, quo Jus Romanum in terris Germaniae fuit receptum, innotuisse. Servabimus vero ordinem in Capite antecedenti observatum, adeoque ante omnia, à quonam Venia annorum Germanico & hodierno Jure impetretur, considerabimus.

§. II.

Scilicet is est summus in Germania Imperator, ad cuius reservata dispensatio circa ætatem refertur *L. 1.2. & 3. C. de bis qui ven. æt.* Imo vulgo à JCtis Germaniae majoribus regalibus. s. juribus majestatis annumeratur attestante ROSENTHAL. *d. Feud. Cap. V. n. 22.* Vid. STRUV. *Syntagm. Juris Publ. Cap. XII. §. 3. & 4.* sine dubio ex analogia LL. Civilium & Consuetudine Imperii. Exercet vero Imperator jus illud vel immediate, ubi, re coram judicio aulico examinata atque decreta, in Canc-

cel-

cellaria Imperii Diploma conficitur. STRUV. l. c. §. 5.  
 vel mediate per Comites Palatii Lateranensis quibus  
 id juris inter alia in diplomate concessum. NICOL. Re-  
 solut. Praef. 24. n. 17. STRYK. V. M. ff. T. d. Minor. §. 9.  
 KNIPSCHILD d. Jure Civ. Imp. L. II. C. 4. n. 54. sed in  
 aliquibus restrictum seu ex in sequentibus passim appa-  
 rebit, cum ad LL. Civiles simpliciter astrieti sint. BARTH.  
 Difp. d. Enanc. C. X. §. STRYK. V. M. ff. d. T. §. 9. Pa-  
 riter quoque Imperatore aut mortuo aut absente Vi-  
 carii in Imperio veniam aetatis indulgent. Vid. GRIEB-  
 NER. Op. Jur. publ. T. II. Sect. 1. §. 32. STRYK. V. M. ff.  
 Tit. de Minor. §. 9. Simili cum iis autoritate gaudent.  
 Curatores, Administratores & Locum tenentes Princi-  
 pis in minorenni aetate constituti. a. A. B. Cap. 5. ibi  
**Ein Verweser oder Pfleger des Reichs** n. n. & possunt  
 ejusmodi personae regulariter ea omnia, quae ipse, cu-  
 jus vices gerunt, facere posset, cum ejusdem privile-  
 giis ac praerogativis omnibus gaudеant, id quod Juris  
 Romani pariter ac Canonici analogiae congruum esse,  
 patet ex text. in l. I. C. de Offic. Vicar. l. I. C. d. Offic. ejus  
 qui vic. al. l. 7. C. d. proxim. Sacr. Scrin. l. XII. C. si Episcopus C. 2. qu. 6. j. ROSENTHAL. d. Feud. Cap. IX. Concl.  
 30. membr. 1. n. 8. Neque tamen Camera eandem veni-  
 am concedit. MTLER ab EHRENBACH Etol. Ord. Imp.  
 Cap. I. §. 2. p. MÜLLER ad Struv. Exerc. VIII. l. IV.  
 T. IV. §. 53. lit. b. neque Austregae Imperii.

## §. III.

Hæc de Imperatore. Sed quid dicendum de Stati-  
 bus & Principibus aliis Imperii? His certe potestas  
 concedendi veniam subditis suis disputari nullo modo  
 potest

potest per ea quæ ex solidis rationibus deducunt MY-  
 LER. ab EHRENBACH. Etol. Ord. Imp. cap. IV. §. 9. KNIP.  
 SCHILD d. Jur. Civ. Imp. L. II. C. 4. n. 54. LIMN. Jur.  
 publ. T. I. L. II. C. 9. n. 149. Add. Specim. Jur. Publ. L. III.  
 C. 5. §. 39. L. V. c. 3. §. 52. quicquid alii fecus sentiant,  
 quorum rationes refutatas dedit modo laudat. MTLER.  
 ab EHRENBACH. l. c. §. 7. seq. cum Princeps idem in  
 territorio suo possit, quod Imperator & Papa REINKING.  
 d. R. S. & Eccl. L. I. Cl. V. c. 6. n. 4. seq. vid. MEV. Decif.  
 P. III. Decif. 305. propter Superioritatem territorialem  
 qua per J. P. O. Art. 8. §. 2. & CAPIT. LEOPOLD. art. 2.  
 gaudent. Idque adeo ut & jus prohibendi exerceant  
 contra Comites Palatinos laudati Status, cum illi ex  
 Imperatoris in Diplomatibus facta Concessione jus il-  
 lud sibi afferant, ita ut si veniam ætatis concederent ea  
 nullius sit Effectus. STRUV. Synt. Jur. Publ. Cap. XI. §.  
 20. ceu pluribus appetet ex Rescripto à Serenissimo Sa-  
 xoniæ Electore dato apud BARTH. Tr. d. Gerada Cap. V.  
 p. 349. Cujus haec verba: B. G. G. Liebe Getreue.  
 Wir haben Uns aus euren vom 12. hujs eingeschickten  
 Bericht und zugehörigen Inserat vortragen und vor-  
 lesen lassen, welcher gestalt N. N. Comes Palatinus Cæf.  
 sich unterstanden, Veniam ætatis zu ertheilen. Wie  
 Wir nun ermeldtes N. N. Beginnen missfällig vermer-  
 ken, und dergleichen Uns aus Landes-Fürstl. Hohheit zu-  
 stehendes Regal weder ihm, noch sonst iemand anders  
 zu exerciren verstatten können. Als begehren Wir,  
 ihr wollet krafft dieses dergleichen Diplomata von ob-  
 berührten Personen ungefährt absodern, und denen  
 Curatoribus, daß sie bis zu ihrer pflegbefohlnen erlang-  
 ten

ten Majorenität die Vormundschaft noch ferner gehürend verwalten sollen, andeuten. Vid. BARTH. *Dissens. in Praxi Dissens.* 471. *Conf. in primis HORNII Programma quo questio excutitur, Utrum Comes Palatinus veniam etatis in territoriis Ordinum Imperii impetrare queat?* in Append. *Jur. Feud. N. X.* Imo quod majus adhuc, neque hæc potestas concedendi ætatis veniam ab Imperatore ipso invitis Dominis territorii in præjudicium eorum exerceri potest. a. CAP. LEOPOLD. Art. 3. Nec quoque ab uno Statuum Imperii veniam ætatis impertrans in alterius territorio pro tali habetur, si actus ibi aliquis peragendus veniat. RHET. *Inst. Jur. Publ. L. II. T. II. §. I.*

## §. IV.

Enimvero & Civitates Imperii hac utuntur potestate. STRTK. V. M. ff. T. d. *Minor.* §. 10. Neque non patriæ suæ moribus præter Principem & summum Magistratum Curiam quoque provincialem, aliosque Judices ordinatos, quibus id facere jure legitimo competit, ætatis veniam concedere solere testis est GROENWEGEN de *Legibus abrog.* ad Tit. C. de his qui ven. aet. Verum in nostro Imperio hodienum Senatus municipales ANTON. FABRO in *Rational.* ad l. 3. ff. de *Minor.* hac potestate privantur, nisi specialissime hoc Privilegium ipsis sit concessum, quali in Ducatu Würtenbergico cuiusvis loci magistratum gaudere plenissime asserit BE SOLD. in *Delib.* L. I. Tit. d. *Venia etat.* Fürstl. Würtenbergisches Land-Recht, P. II. T. 27. aut consuetudo aliter ferat, quam dari in Civitate Stralsundensi EX MÆVII Comment. ad *Jus Lubec.* L. I. Tit. 2. art. 7 n. 29.

C

§ 30.

§ 30. affert MTLER. ab EHRENBACH. in *Etol. Ord. Imp. s̄ep. cit. cap. 2. §. 7.* Denique nec sacrum Collegium, veluti Capitulum, Episcopo veniam ætatis largiri potest. LVDEWIG in *Differentiis jurium in aetate puberum & majorum cap. XI. §. 14.*

## §. V.

Persona, quibus ætatis venia concedi solet, æque ac Jure Romano, adolescentes seu minores sunt, cum mares tum foeminæ, quos Jure Imperii Anno demum XXV. Jure Saxonico anno XXI. majores evadere notum est. CARPOV. P. II. c. 11. d. 9. Imo universæ Domui & Familiae olim venia ætatis concessa veluti Domui Holsatice à Ferdinando III. Imp. Cujus Diploma extat apud L VNIG. in Archiv. T. IV. Dom. Holsat. n. 133. Sic quoque Ferdinandus II. Imp. anno MDCXXV. Hassiacæ Familiae principali veniam ætatis indulxit. Vid. REINKING. de Reg. Sec. L. I. Cl. XI. c. 12. n. 57. Centerum coincidunt requisita eorum cum iis, quæ de Jure Romano erant, scilicet ut honestatem morum præse ferant, &c. Vid. §. 4. cap. anteced. & solet, veluti in Saxonia Serenissimus à quo venia annorum petitur à magistratu ejus causa relationem exposcere in hunc fere modum: Uns bittet N. N. daß wir ihm, weil er bereits nach dem beygebrachten Kirchen-Zedul in dem ein und zwanzigten Jahre stunde, und von dem Verstande sey, seinen Sachen selbst vorzustehen, Veniam ætatis ertheilen mögten, gestalt aus dem Inschluß zu ersehen. Damit wir Uns nun hierauf resolviren können, ist Unser Begehrren, ihr wollet von seinen Besfreunden, auch sonst seiner Außführung und Verstandes halber,

ber, Erfundigung einzehlen, und hiervon euren aller unterthänigsten Bericht erstatten ic. ic. Evidem Imperator Illustribus Personis, veluti Principibus Comitibus atque Baronibus Imperii, ætatis privilegium largitur. Vid. STRUV. *Synagm. Jur. Publ. Cap. XII. §. 4.* nisi aut specialibus pactis gentilitiis aliud ac LLbus communibus definitum tempus deprehendatur. Vid. plur. LIMN. *Jur. Publ. L. II. Cap. IX. n. 150. & L. III. c. 7. n. 4.* Inde cum in A. Bulla Electoribus annus XVIII. majorennitatis sit constitutus, nequit iis Imperator ante annum hunc inchoatum veniam ætatis indulgere: id quod contra DIONTSIVM GODOFREDVM evincit LVDEVVIG in *Diss. sep. cit. cap. IX. §. 9.* Non immorabimur jam Exemplis, quorum pleni sunt omnes historiarum scriptores, & contenti erimus adducendo unicum illud Potentissimi hodierni Borussiæ Regis FRIDERICI WILHELMI, qui heres regni expleto XVI. ætatis anno à FRIDERICO Rege Borussiæ Patre glorioissimæ memoriae pro majorenne fuit declaratus. Vid. *Nov. Lit. Germ. Mens. Octobr. 1704. p. 384.*

## S. VI.

Ad annos quod spectat quibus hodie privilegium ætatis impletatur, conspirant in hoc Jcti; non adeo scrupulosam eorum amplius requiri observationem, qui Jure Romano pro forma præscripti sunt, sed si constet, aliquem aptum satis esse ad res suas prudenter administrandas, pro lubitu dari solere, prout pluribus docent GROENVVEGEN d. *Legibus abrogatis ad l. 2. C. d. bis qui ven. et. n. 3. & 4.* SIMON VAN LEEWEN in *Cens. for. L. I. C. 18. n. 8.* Et DVARENVS eos tam

C 2

stri-

strictè non observari, exemplo quo anno XVII. alicui  
venia ætatis sit concessa probat. *in Comment. ad Tit. C.  
d. bis qui ven. &c.* Quod ipsum licet negare, & Princi-  
pem vel statum Imperii necessario ad *I. 2. C. d. bis qui  
ven. &c.* adstrictum esse, nec aliter masculo vel scemi-  
næ ætatis privilegium indulgere posse, nisi adimpleto  
anno vicesimo vel decimo octavo affirmare videatur  
*MTLER. ab EHRENBACH. Etol. Ord. Imp. Cap. IV. §. 5.*  
in subsequenti tamen §. 7. susque deque habitis ratio-  
nibus, quæ pro ea re afferri possint, expressis verbis  
contrariam Sententiam veram dicit, ac nihil se vide-  
re ait, quid impedit, quo minus Imperii Princeps  
circa vicesimi anni metas adolescentis ætatis veniam  
petentis aliud suppletive ac dispensative statuere ac  
indulgere queat, etiamsi octodecim tantum annorum  
existat, præsertim si talem dispensationem urgentes  
causæ postulent. Cujus rei Exempla quotidiana pro-  
stant, nec in illustribus tantum Personis scrupulosa an-  
norum Jure Romano definitorum exactio cessat. vid.  
*HERT. in Opusc. Var. T. II. p. 128.* sed & in privatis. *RHET.  
Inst. Jur. Publ. L. II. c. II. ZIEGL. d. Jur. maj. L. I. c. II.*  
Videre quoque illud licet ex diplomate super concessa  
*C. L. B.* ætatis venia à Summo Regimine in patria da-  
to inferius legendο. Interim Exempla illustrium per-  
sonarum, qui ante vigesimum annum egressum æta-  
tis veniam impertrarunt vide sis in *WENCESLAO* Re-  
ge Bohemiæ *apud GOLDAST. d. Regn. Bohem. L. VI.  
c. 19.* *PHILIPPO* Hassiæ Landgratio, *in SINOLD. Disp.  
d. Vicar. Imp. tb. 49. inter Disp. Basil. Vol. V.* *CHRISTIA-  
NO IV.* Rege Daniæ, *apud HERING. in Tr. d. Fidejus-  
for.*

*Sor. cap. 7. n. 110.* JVLIO Pomeraniæ Duce apud MATT. STEPHANI d. Jurisd. L. II. P. I. c. I. membr. 2. n. 137. & CAROLO Lotharingiæ Duce THOMAS MICHAEL d. Jurisd. Concl. 32. lit. c. Recentiora qui velit, quærat in STRUV. Synt. Jur. Publ. Cap. XII. §. 4. Diploma quoque FRIDERICO Duci Saxonie ex Serenissima Domo Gothana annum decimum octavum nondum egresso datum Ebersdorff d. 12. Septembris MDCXCIII. invenire est in NEVII Jur. Feud. p. m. 402. Pariter hoc pertinet exemplum Potentissimi hodierni Borussiarum Regis FRIDERICI WILHELMI supra allatum, anno XVI. venia ætatis donato. Hæc vero quæ habet *Autor des Vorhoſs der ganzen Jurisprudenz* p. 412. in Saxonia veniam annorum semper anno XVIII. ex obseruantia perpetua dari, fundamento carere videntur. Sed & Comites Palatini quibus jus veniam ætatis concedendi datum est, præcisæ ad observationem annorum Lege Statutorum astringuntur. STRYK. V. M. ff. L. IV. T. IV. §. 9. RIVIN. Enunciat. p. m. 346. etiam in iis terris, ubi jus illud libere exercent.

## §. VII.

Modus, quo dicta venia ætatis & petitur & conceditur, est, ut cum persona, quæ ejus concessionem postulat, Curatores proximique agnati simul preces deferant, atque de petentis ætate animique probitate testimonium edant: quem ex BESSOLDO allegat SCHWEDE. *Introd. in Jus Publ. Sect. I. c. 15. §. 6.* Quo facto diploma eo nomine confessum, in Imperio quidem coram ejus Cancellaria, illi datur, quod Judici competenti insinuari debet. In Saxonia ita fere proceditur, ut

C 3

preces

preces à minore, qui veniam ætatis impetrare cupit, ad Serenissimum deferantur, additis rationibus, cur eam expetat, itemque testimonio ætatis & vitæ, quo facto Serenissimus eo quo §. 5. exhibuimus modo ad magistratum rescribit ut informationem de ætate petitentis ejusque probitate animi, suscipiant, & qua ætate quibusve moribus sint, sibi referant; Ex qua relatione si constet, petentem talem esse, cui administratio rerum suarum libere permitti & venia ætatis concedi possit Serenissimus Magistratus rursus rescribit, v.g.

Machdem Wir auf euren Bericht, weil C. L. B. nach eingezogner Erfundigung von ihren Vormunden und Freunden ihrer Aussführung und Wirthschaft halber ein gar gutes Lob und Zeugniß beigelegt wird, die gebethene Veniam ætatis ihr in Gnaden ertheilet haben; So können Wir zwar geschehen lassen, daß der selben ihre mütterliche Erb- Portion zu ihrer eignen Disposition und Fortsetzung ihrer Nahrung verabsolut get werden möge, und habt ihr euch hiernach gehorsamst zu achten. Diploma vero eo nomine consequentum petenti peculiare traditur. Cujus tamen tenor diligenter inspiciendus est, ut videatur utrum in certotantum actu, an per omnia & ad quid pro majori quis fuerit declaratus. Num vero foeminis quoque animi probitatem & mentis soleritiam docere incumbat hodie, quod id Jus Romanum masculos solum facere jubeat? Disputatur ab *J. C. Cris. bōdiernis*, & vult sequioris itidem sexus personas ad hanc probationem astriccas esse *SCHWEDER. Introduct. in Jus publ. P. Spec. Sect. I.*

B1cc2

c. 15.

c. 15. §. 5. MYLER. ab EHRENBACH. Etol. Ord. Imperii  
cap. 4. §. 3. à quo tamen dissentit BRVNDEM. Comment.  
ad Cod. l. 2. d. bis qui ven. et. Nobis tum ex Rescripto  
adducto tum ex Diplomate infra legendo cuius vigo-  
re foemina pro maiore fuit declarata verosimile vide-  
tur, in Saxonia certe, æque ac in masculis, probitatis  
animorum documenta è sceninis exigi.

## §. VIII.

Effectus qui Jure hodierno ex Concessione Veniae  
ætatis resultant, coincidunt prorsus cum iis, qui in Ca-  
pite precedente ex Jure Romano à nobis sunt enumera-  
ti. Ideoque pro majoribus habentur, nec Curatore  
in Judiciis, neque circa administrationem rerum sua-  
rum celebrandosque & resolvendos Contractus, indi-  
gent, possunt ad divisionem provocare, ad effectum  
alienandi immobilia, uti pronunciarunt Scabini Lips.  
Mens. Jan. MDCLXXXIV. apud BARTH. in Hodget.  
for. Edit. noviss. p. 567. j. RIVINI Enunc. for. p.m. 347. Pro  
aliis quoque valide intercedunt, iisque donant. Enim  
vero quod ad intercessionem pro aliis spectat, perso-  
naliter illa esse debet, cum bona sua pro aliis hypothe-  
cæ subjicere æque ac Jure Romano prohibeantur, v.  
MYLER ab EHRENBACH. Etol. Ord. Imp. Cap. VIII. §.  
ult. De donatione autem quod dictum est, à rerum  
geradicarum donatione foeminam in Saxonia, tametsi  
pro majori fuerit declarata, excludi affirmat. BARTH.  
Tr. d. Gerada Cap. V. §. 34. p. 341. ex ratione, quod res  
geradicæ utpote plerumque pretiosæ quæque servan-  
do servari possunt, immobilibus comparentur l. 22. C.  
de

*de Admin. Tit. ad quarum alienationem neque Curato-  
ris autoritatem sufficere notum.*

§. IX.

Simili quoque ratione hodie minoribus accensentur hi, qui veniam ætatis sunt consecuti I) in alienatione bonorum immobilium, quæ fieri valide ab ipsis nequit, nisi in concessione veniae expresse fuerit permissa. Vid. plur. RIVIN. Enunc. for. p.m. 347. vel ex sententia LVDEWIG in differentiis Jurium in ætate puberum & majorum Cap. IX. f. 14. Principes sint qui bona alienare velint. Idem dicendum II) de hypotheca, cum alioquin, prout modo ante afferuimus, & hæc sit prohibita. Neque minus III) interdictum ipsis est tutelam s. fratum s. aliorum suscipere. MYLER. ab EHRENBACH in Etol. Ord. Imp. Cap. 7. §. 3. STRUV. Consil. feudal. p.m. 110. FINCKELTHAVS Ohf. posth. 20. MENCKE Tr. Synopt. Proc. Jur. Comm. & Sax. Elecf. Disp. VI. Tit. 9. §. 2. à quibus Illustres Personas excipit, & per veniam ætatis illos fratum suorum natu minorum tutelam adipisci afferit, exemplaque Mauriti Friderici, Comitis ab Hohenloh, cui a.o. ætatis XX. Cura fratum minorum per Diploma quod exhibet LIMNÆVS Addit Tom. pr. ad L. II. c. 9. n. 151. fuit demandata, comprobat STRUV. in Syntagma. Jur. Publ. Cap. XII. §. 5. ideo quod, cum ipsis regimen provinciæ concedatur, facilius admitti quoque possint ad ea, quæ adhuc minoris sint. Porro IV) non admittit ejus modo personas pro majoribus declaratas ad officia publica MYLER ab EHRENBACH. I. c. Cap. VII. §. 5. adeoque nec V) in arbitrium

bitrium eligi hodiendum poterunt. Nisi Princeps aliquid munus publicum ipsis ex certa scientia & proprio motu contulerit. Prohibentur VI) in Lusatia Superiori minores pro majoribus declarati ante annum vigesimum quintum ætatis completum Cambium dare. Vid. Cod. August. P. III. p. 525. Itemque VII) bona in feudum offerre Bernhard von Rohr *Introd.* 23. *Jurispr. priv.* pag. 352.

## §. X.

Restaret jam agere de restitutione in integrum, quatenus illa contra ætatis veniam impetratam locum habeat. Verum enim vero cum nihil alieni hac in parte à Jure Romano comprehendatur in Jure Germanico & hodierno, nisi quod beneficium hoc Principibus adimat. LYDEWIG in *Dissert. sep. cit. Cap. IX.* §. 16. in discutienda hac materia prolixī esse nolumus, quamquam difficile hanc restitutionem concedi affirmet. MYLER ab EHRENBACH l. c. *Cap. IX. §. 9.* id solummodo dispiciētes: An minor, qui veniam ætatis impetravit, & cum decreto judicis fundum alienans læsus fuit, restitutionis gaudeat beneficio? Negat eam quæstionem de Jure Romano SCHILTER *Exerc. ad ff. XI. §. 2.* Affirmat tamen *eodem loco* moribus restitutionem in integrum utique habere locum. Conf. LATTERBACH. *Concl: 6. §* MYLER ab EHRENBACH l. c. *Cap. IX. §. 1.* Diffitendum tamen non est, nihil in hoc Casu peculiare à conditione alias minoris esse, imprimis si præsupponamus, quod per quinquennium tacuerit, & hoc modo Contractum semel celebratum tacite quasi confirmaverit. v. l. fin. C. si major factus ratit. Deinde

D


de

de quæritur: An si Adolescens veniam ætatis impetraverit à suo Principe, sed in extero loco postea contrahat, læsus restitutionem in integrum petere possit, quia secundum hujus loci statuta sine venia ætatis non dum majorenxis esset? Id quod negatur. In qualitatibus enim personæ spectatur ubique Jus loci ubi personæ certa qualitas fuit impressa. Vid. HVBER. l.3. *Jurispr. Univ.* c. 10. n. 35. sequ. § n. 38. & quas allegat. Consult. Holland. P. IV. Conf. 166. Vid. HERT. T. I. Opusc. sect. IV. §. 12. p. 182.

## §. XI.

Sufficient hæc attulisse de Venia ætatis tum de Jure Romano tum Germanico & moribus considerata. Neque amplius quid restat, quam ut in fine Dissertationis nostræ debitam profiteamur

*Soli Deo Gloriam!*



Formu-

D

# Formula Diplomatis

Quo venia ætatis concessa in Saxonia  
Fœminæ.

**S**On Gottes Gnaden Wir Friedrich August / König und Chur-Fürst ic. Thun hiermit kund und zu wissen, demnach Uns C. L. B. aller demuthigst angelanget, und gebethen, daß Wir ihr, nachdem sie sich mit N. N. verehlicht, die an ihrer Mündigkeit ermangelnde Zeit, da sie sich im 18. Jahre ihres Alters befindet, derer von ihr angezogenen Motiven und Umständen willen allergnädigst erlassen und hingegen veniam ætatis indulgiren möchten, auch aus denen durch hiesigen Rath von ihren Vormunden und nechsten Unverwandten beibrachten Zeugnissen, so viel zu befinden, daß sie C. L. B. sich jetzt gar arbeitsam und sparsam erwiesen, daß Wir diesem allen nach, und bey so beschaffenen Dingen, deren Suchen angesehen, und derselben die gebethene veniam ætatis indulgit haben. Thun es auch hiermit und krafft dieses offnen Brieffes, und erklären obhmelde C. L. B. pro Majorenni und vor mündig, also und dergestalt, daß sie hinführö von männiglichen da vor gehalten werde, und ihr nachgelassen seyn solle, von nun an, ihren eigenen Sachen, in und außerhalb Rechtens, ohne einiges Menschen Widerreden, selbst vorzustehen, auch frey und ungehindert, iedoch geziemender

D 2

mender und billiger massen, alles dasjenige, was die Nothdurft erfordert, zu beobachten, gestalt alles das, so sie in ihren eigenen Sachen forthin vornehmen, thun und lassen wird, kräftig und beständig seyn und bleiben solle. Zu Uhrkund mit Unserm zu Ende aufgedruckten Canzley-Secret besiegelt und geben zu Dresden am 1. Octobr. 1728.


(L.S.)

August Beyer.  
Johann Jacob Stein.



(x228 2285)





1729,2  
Q. D. B. V.  
4  
2

DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS JVRIDICA,  
DE  
**VENIA ÆTATIS  
SECUNDVM JVS  
ROMANVM**  
ET  
**LL. GERMANIÆ HODIERNAS,**  
QVAM  
CONSENTIENTE  
*(4)*  
**INCLVTA FACVLTATE JVRIDICA**  
IN PER - ANTIQVA ERFVRTENSIVM  
ACADEMIA  
**SVB PRÆSIDIO ALTISSIMI**  
PRO  
SVMMIS IN VTROQVE JVRE HONORIBVS  
CAPESSENDIS  
IN AUDITORIO JCTORVM MAJORI  
DEFENDET  
**JOH. CONSTANTINVS GELLIUS,**  
*Dresdenis,*  
ibidemque Advocatus immatriculatus.  
**DIE XIV. MARTII M DCC XXIX.**  
ERFORDIÆ,  
Litteris GROSCHIANIS, Acad. Typogr.